UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

# Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

**Johannes <Climacus>**

**Coloniae, 1583**

**VD16 J 520**

Relatio de Zenone imperatore viro eleemosynario. Capvt CLXXV.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-55433

Visual Library

clerum volebat occidere. Dicebat enim: Hi ſunt noſtræ perditionis auctores, quia non ſumpſerūt aquam ad ſufficientiam. Ego autem orabam itrabā dicens: Noli hoc facere, ſed magis deprecemur Dominum noſtrum Ieſum verum Deum, qui facit magna, & mirabilia, quorum non eſt numer'. Ecce enim & nauclerus, vt vides, tertium hunc agit diem, [2] ieiunio, & orationi vacans. Cùmque acquieuiſſet ſcriba, quarta die circa ſextam horam ſurgens nauclerus, clamauit voce magna dicens: Gloria tibi, Chriſte Deus noſter: ita vt omnes miraremur in voce ipſius. Dixitq; nautis: Submittite membranas. Et cùm explicuiſsēt eas, ecce nubes ſupra nauem veniens, tantum pluit aquæ, donec impleuerunt vaſa ad neceſsitatem noſtrā. Erat autem miraculum grande, terribile, quod velificante naue, nubes illa conſequeretur nos, & extra nauem non plueret.

1 *Vide & hic peregrinationē ad loca sācta orationis cauſa*
2 *Nota, Tertium agit diem ieiunio, & orationi vacans.*

## *Relatio de Zenone imperatore viro eleemoſynario.*

## CAPVT CLXXV.

NARRAVIT nobis quidam patrum de Zenone Imperatore, dicens, quod mulierem quandam in filia ipſius iniurioſè tractauerit. Hæc autem vacabat in templo Dominę noſtrę ſanctæ Dei genitricis, orans [1] eam & deprecans, & cum lachrymis dicens. Vindica me de Zenone Imperatore. Cùm ergo multis dieb. hoc faceret, apparuit ei ſancta Dei genitrix, dicēs: Crede mihi, mulier, [2] vltionem tuam ſæpè facere volui, ſed manus eius prohibet me. Erat enim valde miſericors, & eleemoſynas faciens.

gra

1 *Oratio cum lachrymis.*

2 *Ecce quomodo Sancti in Dei lumine sciunt quæ circa nos aguntur.*

## *Pulchra relatio Abbatis Andreæ de decem viris peregrinantibus, inter quos fuit & adolescens Hæbræus.*

## CAPVT CLXXVI.

ABBAS Andreas Octaui decimi, cùm essemus in Alexandria, narrauit nobis dicens: Cùm essem iuuenis indisciplinatus valde, & inquietus fui. Die ergo quadam persecutionẽ passi pro nostra inquietudine, fugimus in Palæstinam ego, & nouem alij: inter quos vnus quidam erat Industrius, alius autem Hebræus. Cùm ergo venissemus in eremum, infirmatus est Hæbræus vsque ad mortem, & Deo teste, in magno mœrore constituti eramus, nescientes quid illi faceremus. Veruntamen vt est consuetudo socialis charitatis, non illum deseruimus, sed vnusquisq; nostrum pro viribus tolerabat eum, volentes vel in ciuitatem, vel in emporium illum ducere, ne moreretur in eremo. Cùm verò adolescens ex inedia, & vehementissima febre, immoderatoque labore, & siti, prę solis æstu, totus iam ferè resolutus esset, atque deficeret, propinquans ad exitũ, neque portari posset, decreuimus cum multis lachrymis illum dimittere in eremo, & abscedere, metuentes ne nos ipsi quoque siti deficeremus. Cùm igitur illum in arena plorantes posuissemus videretque nos abire velle, cœpit nos adiurare dicens: Per Deum, qui fecit cœlum, & terram, per Deum, qui inclinauit cœlos, & descendit pro salute humani generis, per Deum qui iudicaturus est viuos, & mortuos, nolite pati, vt

Hebræus